



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem  
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens Quæstiones à XXVII. vsque ad LXIV. & à Quæstione CVI.  
vsque ad CXIV.

**Vázquez, Gabriel**

**Antverpiæ, 1620**

Dispvt. CCXXV. An fuerint Angeli creati in cœlo Empyreo.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81000](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81000)

23.  
non d.  
Titul. elazi-  
datur.

Quinto arguere possemus ex illo ad Titum 1.  
Quam (scilicet beatam spem) promissit Deus ante tem-  
pora secularia: nam si talis promissio facta est ante  
tempora hæc secularia, quæ ab initio mundi nu-  
merantur (ætas enim mundi sæculum dicitur,  
vt observauit disputatio 33. cap. 1.) alicui crea-  
turæ fieri debuit: nulla autem alia videtur fuisse,  
quam Angelus: ergo Angelus creatus fuit ante  
hæc tempora secularia. Respondeo vt dixi in ea  
disp. verbum illud, promissit, non significare pro-  
missionem aliquam verbo factam, sed æternam  
Dei prædestinationem, vt notat Chrys. & Anselm.  
in eum locum, & Aug. 12. de ciuit. cap. 16. quæ vero  
ratione dicat Paulus, Antetempora secularia: in eadem  
disp. explicatu m. est.

Chrysost.  
Anselm.  
Augustin.

## ARTICVLVS IV.

*Vtrum Angeli sint creati in calo Empyreo.*

**A**d quantum sic proceditur. Videtur, quod angeli non sint creati in caelo Empyreo, angeli enim sunt substantiae incorporeae. Sed substantia incorporea non dependet a corpore secundum suum esse: & per consequens neque secundum suum fieri. Ergo angeli non sunt creati in loco corpore.

2. Præterea, August. dicit 3. super Genes. ad litt. quod angeli fuerunt creati in superiori parte aeris. Non ergo in calo Empyreo.

3. Præterea. Cælum Empyreum dicitur  
esse cælum supremum. Si igitur angeli  
creati fuissent in cælo Empyreo, nõ con-  
uenisset eis in superius cælum ascendere.  
Quod est contra id quod ex persona an-  
geli peccantis dicitur, Iſai. 14. Ascendam  
cælum.

Sed contra est quod Strabus dicit, super illud, In principio creavit Deus cælum, & terram, Cælum non visibile firmamentum hic appellat, sed Empryreum, id est, igneum vel intellectuale, quod non ab ardore, sed a splendore dicitur. Quod ita-  
tim factum, Angelis est repletum.

RESPONDEO dicendum, quod  
sicut dictum est, ex creaturis corporalibus,  
& spiritalibus vnum vniuersum  
constituitur. Vnde sic create sunt spiri-  
tuales creature, quod ad creaturam  
corporalem aliquem ordinem habent,  
& toti creature corporali presidunt. Vnde  
de conueniens fuit, quod Angeli in su-  
premo corpore crearentur tanquam  
toti nature corporee presidentes, siue  
id dicatur cœlum Empyreum, siue qua-  
litercunque nomenetur. Vnde Isidorus  
dicit, quod supremum cœlum est cœlum  
angelorum, super illud Deuteronomio 8. ca-  
pite, Domini Dei tui est cœlum, & cœ-  
lum cœli.

Ad primum ergo dicendum, quod an-  
geli non sunt creati in loco corporeo,

quasi dependentes à corpore secundum  
suum esse, vel secundum suum fieri. Po-  
tuisset enim Deus angelos ante totam  
creaturam corporealem creare, vt multi  
sancti doctores tenent. Sed facti sunt in  
loco corporeo ad ostendendum ordinem  
eorum ad naturam corpoream, & quod  
sua virtute corporea contingunt.

Ad secundum dicendum, quod a gustu forte per supremam partem aeris intelligat supremam partem cœli: cum quo aer quamdam conuenientiam habet propter suam subtilitatem, & diaphaneitatem. Vel loquitur non de omnibus angelis, sed de illis qui peccauerunt. Qui secundum quosdam fuerunt de inferioribus ordinibus. Nihil autem prohibet dicere quod superiores angeli habentes virtutem eleuatam & vniuersalem supra omnia corpora, sint in supremo creaturæ corpore creati. Alij vero habentes virtutes magis particulares sint creati in inferioribus corporibus.

Ad tertium dicendum, quod loquitur  
bi non de cælo aliquo corporeo, sed de  
cælo sanctæ Trinitatis: In quod angelus  
eccans ascendere voluit, dum voluit ali-  
quo modo æquiparari, ut infra patebit.

CONCEPſio eſt, *Angeli creati ſunt in cœlo  
Empyreo.*

DISPUT. CCXXV.

An fuerint angeli creati in cœlo  
Empyreo.

*Varie opiniones, cap. I.*

*Certum non est, sed probabile tantum, Angelos in cælo  
fuisse creatos, cap. 2.*

C A P V T I.

*Variae opiniones.*

Communis est Scholasticorum sententia cum  
Magistro in 2. dist. 1. Angelos in caelo Emphyreo  
creatos fuisse: quam acceperunt ex Bed. 4. tom. in  
lib. Hexameron non longe a principio. & Hugone de San.  
Victore in summa sententiarum tractatu 2. cap. 1. eam  
queque tradidit Glossa ordinari in priora verba Genes.  
Quorum opinio confirmari solet ex eo, quod Lu-  
cifer, & Angeli eius de caelo ceciderunt, iuxta  
illud Luc. 10. Videbam Satanam sicut fulgur de caelo  
cadentem, quem locum aliqui intelligent de caeli  
demonis de caelo, quando primo peccauit. Orig.  
lib. 1. Periach cap. 5. Ambrosii libro de iuga saculi cap. 7.  
ante medium, Chrysost. Hom. 10. de unitate in 5.  
tomo ante medium, Gregorius 23. Moralium capite 6.  
alias 7. Theod. lib. 5. heretic. fabular. capite de diaboli.  
Prosper lib. de dimidio temporis capite 7. Bernardus ser-  
mone secund. ad fratres. & Theophylast. in eum locum,  
tametsi aliam etiam adhibeat interpretationem,  
quam infra referemus: hunc igitur sensum secu-  
tus Gregorius, prædictum locum exponit hoc  
modo, cum videret Christus discipulos suos (qui  
missi fuerant præditi potestate ejiciendi demonia,  
cum gaudio redire dicentes, etiam demonia  
subiiciuntur nobis in nomine tuo: vt exemplo  
Luciferi

2.  
Luc. 10.

Luciferi, qui affectu superbiæ cecidit, eorum immoderatum affectum inanis gloriæ reprimet, dicit, *Videbam Satanam sicut fulgur de celo cadentem*: deinde subiungit, *Verumtamen in hoc nolite gaudere, quia spiritus vobis subiungitur: gaudere autem quod nomina vestra scripta sunt in celo*. Eadem sententia Scholasticorum confirmari solet ex illo Apocalypsis 12. ubi describitur prælium Michaelis cum dracone in celo: ex quo inferunt nonnulli, luciferum de celo cecidisse per peccatum, ac proinde ibi ante peccatum fuisse: ex quo etiam non sine probabili coniectura colligitur, ibidem primo creatum fuisse. Augustinus vero libro 11. de Genesi ad literam cap. 17. refert quosdam asseruisse demones ex alio genere Angelorum, quam beatos spiritus fuisse, eosque in hoc mundo inferiori fuisse creatos, capite autem 19. inquit se non audere hæc duo genera Angelorum asserere, cum id ex Scripturis colligi non possit.

Rupertus.

Demum Rupertus lib. 1. in Genesim cap. 1. de loco creationis Angelorum ita scribit, *Non magis Angeli facti sunt in celo, quam homo plasmatus in paradiso est, sicut scriptum est, &c. ita nimirum & angeli extra paradysum conditi, & in celum translati non natura, sed gratia celum inhabitant: quo loco hic autor existimat, Adamum quidem creatum fuisse extra paradysum, & deinde in paradysum translatum, atque eodem modo Angelos omnes extra celum, deinde omnes per gratiam in celum translatos, indeque Luciferum peccato suo cecidisse.*

## CAPUT II.

*Certum non est, sed probabile tantum, Angelos in celo fuisse creatos.*

3.

**T**Amersi probabilior sit Scholasticorum opinio asserentium, Angelos in celo Empyreo creatos fuisse: nullum tamen habemus firmum scripturæ testimonium, ex quo eam certo colligere possimus. Ideo a mihi videtur hæc Scholasticorum opinio probabilior, quia sicut homo in terra creatus fuit, ita etiam conveniens videbatur, Angelum in celo creati: esse autem duo genera Angelorum, & demones extra celum, Angelos autem bonos in ipso celo fuisse productos, absque illo firmo fundamento illi dixerunt, quorum meminit August. loco citato. Porro Angelos extra celum primo productos, deinde in celum per gratiam translatos, sicut autumat Rupert. non minus sine ratione affirmatur. Restat igitur, ut in ipso celo tanquam in nativo & proprio solo fuerint producti: cumque ceteri coeli, præter Empyreum, moveantur, in Empyreo tanquam in quieto loco creati fuerint.

Testimonia vero Scripturæ, quibus aliqui confirmant hanc communem Scholasticorum sententiam, si probabilior interpretacionem sequamur, magis momenti non sunt. Primum testimonium illud Luc. 10. *Videbam Satanam, &c.* etiam si intelligeretur de primo casu diaboli, ut præallegati in præcedenti cap. intelligunt: solum probaret Angelos omnes in celo Empyreo fuisse antequam peccarent: hinc tamen non sequitur, ibi etiam primo creatos fuisse: nam dicere posset aliquis cum Ruperto, ex celo quidem cecidisse, non quia illic creati, sed quia eo per gratiam translati essent, & postea ex statu gratiæ, & ex ipso celo cecidissent. Deinde non videtur Dominus in eo cap. Luc. 10. locutus de primo casu da-

monis per peccatum, nec verba illa videtur dixisse, ut repineret affectum inanis gloriæ discipulorum, sicut putavit Greg. nam, ut notavit Theophyl. ex his, quæ ibi narantur facta & dicta discipulis Domini, non potest colligi spiritus aliquis inanis gloriæ, aut superbiæ: gloriabantur enim discipuli, quod sibi demones subicerentur, sed in nomine Christi, cui gloriam victoriam referebant: & ideo dixerunt, *Demones subiungunt nobis in nomine tuo*: cum vero subdit Christus, *Verumtamen in hoc nolite gaudere, quia spiritus vobis subiungitur: gaudere autem quod nomina vestra scripta sunt in celo*: non reprimat gaudium de victoria contra demones, quasi esset inanis gloriæ: sed ostendit id, de quo præcipue gaudere debent: nam & multi in nomine Christi demones erant eiecitur, quorum tamen nomina in libro predestinationis scripta non erant, quibus dictum erat dominus, *Nescio vos*.

Prædictum igitur locum interpretatur Theophylactus, primum quidem hoc modo, ut cum Patribus allegatis à nobis in primo capite loquitur de casu Luciferi de celo, & inde nullam habere deinceps fortitudinem: quasi diceret Christus, s. r. v. s. ne miremini, quod demones vobis subiiciantur: nam ex quo Lucifer de celo cecidit, nullam habet fortitudinem. Deinde idem Theophylactus, & Euthymius explicant de celo, hoc est de dignitate, quam in mundo habebat ante Christi incarnationem obediens corpori hominum, & ab eis adoratus ut Deus: cui oppositioni favere videtur Basiliius homilia nona, ubi ap. nomine coeli intelligit ætrem, quem dicit esse locum principatus demonis, qui dominabatur in mundo.

Mihi vero maxime probatur Iansenij interpretatio cap. 80. concordie Evangel. ut aliquis ex prædicatione redeuntibus, & dicentibus se etiam demones eiecisse in nomine Christi. Ipse Christus responderit hoc modo, *Videbam Satanam sicut fulgur de celo cadentem*, hoc est, ne putatis vos rem mihi novam referre: nam & cum nulli vos cum potestate, certo sciebam omnes Satanas vires ruituras: imo vero cum demonia ejiciebatis, ego videbam Satanam sine via motu cadentem, sicut fulgur de celo cadere solet: & verbum illud imperfecti temporis, *videbam*, hunc sensum non obscure indicat. Coniungi autem debent voces hoc modo, *Videbam Satanam cadentem sicut fulgur de celo*: quare vox illa, *de celo*, non debet coniungi cum illis, *Satanam cadentem*: illi igitur loco non satis probatur, Luciferum de celo empyreo, sed ab obsessis corporibus cecidisse, sicut fulgur ex medio aëre cadere solet.

Deinde locus ille Apocalypsis duodecimo, ubi prælium Michaelis describitur cum Dracone, fide primo casu Luciferi intelligatur, solum probat, Angelos malos in celo fuisse antequam peccarent, & inde per peccatum cecidisse: hinc tamen non licet colligere, Angelos in celo Empyreo fuisse creatos, ut paulo ante notavi. Ceterum si sensum sanctorum Patrum sequamur, neque inde probari potest, prælium Angelorum in celo fuisse: Ambrosius enim in eum locum per Michaelem, quem vidit Ioannes præliantem cum Dracone, intelligit Christum: & per Angelos, Christi Apostolos: pugnavit igitur Christus, & Apostoli eius contra draconem, & Angelos ipsos.

quia demones excitant ludæos contra Christum, putantes per mortem se victuros esse Christum, & morte Christi victi sunt. Alij putant, ibi non vidisse Ioannem primum prælium Michaelis cum Lucifero, quando malis Angelis superbientibus restitit Michael illis verbis, *Quis ut Deus?* sed prælium Michaelis cum demone pro animabus iustis per secretam inspirationem: dicitur autem factum in celo, hoc est, in Ecclesia: sic interpretatur hunc locum author commentarii in Apocalypsim apud Aug. in 9. tom. Hom. 9. Beda, Anselmus, Primasius, Rupertus, Arethas, S. Thom. Dionysius Carthusianus, Gagneus in eum locum Apocalypsis, & Ricardus de Sancto Victore libro 4. in Apocal. cap. 2. quare recte statim subiungitur in eodem capite gratiarum actio, qua Angeli sibi mutuo gratulabantur de victoria his verbis. *Nunc facta est salus, virtus & regnum Dei nostri, & potestas Christi eius: quia prociectus est accusator fratrum nostrorum, qui accusabat illos ante conspectum Dei die ac nocte, & ipsi vicerunt eam propter sanguinem agni, & propter verbum testamenti sui, & non deleverunt animas suas usque ad mortem.* Ex quibus constat, per fratres ibi intelligi homines, qui a demone accusabantur, & ipsi fortiter resistunt usque ad sanguinis effusionem & mortem: aut ut exponunt Anselmus, Oecumenius & Glossa, & Scholastici, non dilexerunt animas suas, hoc est, animale vitam usque ad mortem, hoc est, ut animæ perirent, sed ne perirent animæ, vitam animale perire non dubitarunt, quod de Angelis dici non potuit. Autor vero commentarii apud Augustinum putat, vocem illam, *Nunc facta, &c.* non fuisse Angelorum in celo, sed hominum in terra. Quomodo cumque vero sit, iuxta communem sententiam Patrum non possumus ex hoc loco colligere, Angelos à celo cecidisse per peccatum, ne dum in celo creatos esse.

## QUESTIO LXII.

De perfectione Angelorum in esse gratiæ  
& gloriæ.

Consequenter inuestigandum est quomodo angeli facti sunt in esse gratiæ, vel gloriæ.

Et circa hoc queruntur novem.

## ARTICVLVS I.

Utrum Angeli fuerint in sua creatione beati.

**A**D primum sic proceditur. Videtur, quod Angeli fuerint creati beati. Dicitur enim in libro de Ecclesiæ dogmatibus, quod angeli qui in illa, in qua creati sunt beatitudine perseverant, non natura possident bonum, quod habent. Sunt ergo angeli creati in beatitudine.

2. Præterea. Natura angelica est nobilior quam corporalis. Sed creatura corporalis statim in principio suæ creationis fuit creata, formata & perfecta: nec infirmitas præcessit in ea formationem tempore, sed natura tantum, ut Augustinus dicit primo super Gene-

sim, ad litteram. Ergo nec naturam angelicam creavit Deus informem & imperfectam. Sed eius formatio & perfectio est per beatitudinem, secundum quod fruatur Deo. Ergo fuit creata beata.

3. Præterea. Secundum Augustinum super Genesim ad litter. ea, quæ leguntur facta in operibus sex dierum, simul facta fuerunt. Et sic oportet quod statim à principio creationis rerum fuerint omnes illi sex dies. Sed in illis sex diebus (secundum eius expositionem) manere fuit cognitio angelica, secundum quam cognouerunt Verbum & res in Verbo. Ergo statim à principio creationis cognouerunt Verbum & res in Verbo. Sed angeli beati sunt per hoc quod Verbum vident. Ergo statim à principio suæ creationis angeli fuerunt beati.

Sed contra, de ratione beatitudinis est stabilitas siue confirmatio in bono. Sed angeli non statim ut creati sunt, fuerunt confirmati in bono: quod casus quorundam ostendit. Non ergo angeli in sua creatione fuerunt beati.

Respondeo dicendum, quod nomine beatitudinis intelligitur ultima perfectio rationalis seu intellectualis naturæ: & inde est, quod naturaliter desideratur. Quia vnumquodque naturaliter desiderat suam ultimam perfectionem. Ultima autem perfectio rationalis seu intellectualis naturæ est duplex. Vna quidem, quam possunt assequi virtute suæ naturæ: & hæc quodammodo beatitudo vel felicitas dicitur. Vnde & Aristoteles perfectissimam hominis contemplationem, quæ optimum intelligibile, quod est Deus, contemplari potest in hac vita, dicit esse ultimam hominis felicitatem: sed supra hanc felicitatem est alia felicitas, quam in futuro expectamus: quæ videbimus Deum sicuti est. Quod quidem est supra cuiuslibet intellectus creati naturam, ut supra ostensum est. Sic igitur dicendum est, quod quantum ad primam beatitudinem quam angelus assequi virtute suæ naturæ potuit, fuit creatus beatus. Quia perfectionem huiusmodi angelus non acquirit per aliquem motum discursuum, sicut homo, sed statim ei adest propter suam naturæ dignitatem, ut supra dictum est. Sed ultimam beatitudinem, quæ facultatem naturæ excedit, angeli non statim in principio suæ creationis habuerunt: quia hæc beatitudo non est aliquid naturæ, sed naturæ finis. Et ideo non statim eam à principio debuerunt habere.

Ad

Ad primum ergo dicendum, quod beatitudo ibi accipitur pro illa perfectione naturali quam angelus habuit in statu innocentie.

Ad secundum dicendum, quod creatura corporalis statim in principio sue creationis habere non potuit perfectionem ad quam per suam operationem perducitur. Vnde secundum Augustinum germinatio plantarum ex terra non statim fuit in primis operibus, in quibus virtus sola germinativa plantarum data est terræ. Et similiter creatura angelica in principio sue creationis habuit perfectionem suæ naturæ, non autem perfectionem ad quam per suam operationem perducere debebat.

Ad tertium dicendum, quod angelus duplicem habet verbi cognitionem. Vnam naturalem, & aliam gloriæ. Naturalem quidem qua cognoscit verbum per eius similitudinem in sua natura reluentem. Cognitionem vero gloriæ, qua cognoscit verbum per suam essentiam. Et utraque cognoscit angelus res in verbo. Sed naturalis quidem cognitione imperfecte, cognitione vero gloriæ perfecte. Prima ergo cognitio rerum in Verbo affuit angelo à principio sue creationis: secunda vero non, sed quando facti sunt beati per conversionem ad bonum. Et hæc proprie dicitur cognitio matutina.

**P**RIOR conclusio est, *Angeli creati sunt in beatitudine naturali, hoc est, quam naturaliter habere potuerunt.* Posterior conclusio: *Angeli non sunt creati in beatitudine supernaturali.* Doctrinam harum conclusionum, & totius articuli sequenti disputatione examinabimus.

## DISPUT. CCXXVI.

Vtrum angeli creati fuerint in beatitudine solum naturali, an etiam in supernaturali.

*Quinam senserint Angelos in beatitudine naturali fuisse creatos, cap. 1.*

*Contemplatio via in Angelis non habet veram rationem beatitudinis, tamen si beatitudini assimilatur, c. 2.*

*Malos Angelos non fuisse in beatitudine patriæ creatos, cap. 3.*

*Bonos Angelos non fuisse concessam beatitudinem patriæ à principio sui esse, cap. 4.*

## CAPUT I.

*Quinam senserint, Angelos in beatitudine naturali fuisse creatos.*

**N**ON pauci Scholastici cum S. Thom. fatentur, Angelos creatos esse in beatitudine quadam naturali. Ita docuerunt cum S. Thom. Durand. in 2. dist. 4. quæst. 1. & Thomistæ recentiores in hoc art.

S. Thomas.  
Durand.

## ARTIC. I.

eandem etiam sententiam secutus videtur S. Thom. in 2. d. 3. q. 9. §. Ad quæstionem, verum. Quod autem, ubi docet, in Angelo fuisse cognitionem Dei evidentem, quam vocant quidditativam & propriam, inferiorem tamen intuitivam, de qua pauca diximus dist. 13. q. 4. 1. & 2. & hæc fuisse naturalem beatitudinem Angelis: idem docuit in 2. d. 4. q. 1. in primo argumento, in principio quæstionis: eandemque beatitudinem naturalem Angelis S. Th. Durandus, & alij Scholastici in contemplatione naturali Dei posuerunt cum Aristot. 1. Ethic. c. 7. & 8. ubi beatitudinem, quam ipse habuit in hominibus, in contemplatione Dei esse docuit. Sed quia aliquibus Thomistis difficile videtur est Angelis tribuere naturalem aliquam beatitudinem sine rectitudine voluntatis: & hæc esse non potest in via ex sola contemplatione summi boni, qualis in hac vita haberi potest: ideo nonnulli doctores ex Schola S. Thomæ dixerunt, ad beatitudinem naturalem Angeli non solum pertinere contemplationem summi boni, sed etiam naturalem rectitudinem voluntatis quam dicunt esse dilectionem & amorem amicitie naturalem erga Deum, quem, naturali acumine intellectus contemplantur: assignant vero discrimen inter beatitudinem naturalem, quæ conceditur in via, & supernaturalem, quæ tantum contingit in patria, quod beatitudo patriæ consistit in sola operatione intellectus clare videntis Deum, eo quod illa clara visio ex se sufficit generare rectitudinem voluntatis, quæ ad beatitudinem adeo videtur necessariam, ut neque beatus esse, neque intelligi possit cum peccato: at vero beatitudo via non potest tota esse in operatione intellectus sola contemplantis Deum quacunque altissima contemplatione, quia nulla via contemplatio sufficiens est ex se generare rectitudinem voluntatis, sine qua, ut diximus, beatitudo consistere nequit: contemplationi igitur Dei, quæ habetur in via, addenda est rectitudo naturalis voluntatis cum Deo, ut ex utraque fiat integer status beatitudinis naturalis.

Præterea cum de ratione veræ beatitudinis in perpetuitas, ut 1. 2. q. 5. a. 4. ostendimus, dicunt naturalem illam Angelis beatitudinem perpetuam esse, & amitti non posse, ut hac ratione defendunt, veram rationem beatitudinis illi convenire. Pro cuius perspicuitate notant, hanc naturalem beatitudinem dupliciter posse considerari, primum secundum seipsam tanquam ultimam perfectionem naturalis creature non coniunctam nec constitutam sub beatitudine supernaturali: & hoc modo dicunt esse naturam suam perpetuam in Angelis, quia semper manet in eis contemplatio illa summi boni, imo etiam amor amicitie naturalis erga ipsum, ut indicat S. Th. sup. q. 6. art. 5. ad 5. Deinde considerari potest hæc naturalis beatitudo, ut est coniuncta supernaturali, & sub ea quasi constituta: non quia actui illi coniuncta sit, sed quia: ut dici solet, ei subordinetur: & hoc modo dicunt, amitti posse: amissa enim beatitudine supernaturali, amittitur etiam illa quasi subordinatio, qua naturalis beatitudo ad supernaturalem ordinabatur, & manet naturalis prioris illi modo, hoc est, secundum se.

CAPIT.